



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallelia Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

§. 5. Religio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13167

creditori. Pater filium suum quater vendere potest. Nobilis fustibus male multatus à Duce, aut Rusticus à nobili, gratias habent quod dignati sint emendare seruos suos. Cùm quis moritur datur ei in manus carta, quā Sacerdotes testantur eum bene vixisse, putantque schedam hanc oblatam S. Petro cælum referare. Plura de his *Poffeuinus*, *Gagninus*, & alij.

§. 5. Religio.

Moschi suscepere fidem anno Christi 942. sub Olha Ducissa, & Volodomiro eius filio. Iactant tamen S. Andream apud se disseminasse fidem. Præcipuo cultu venerantur imagines: qui aliquem inuisit, prius eas domi prostantes salutat, quam patrem familias. Dum se muniunt signo Crucis, à dextra ad sinistram manum mouent. Omnes Sacerdotes vxorem ducere debent, nec nisi vxoratus admittitur ad Diaconatum. Sed vxore mortua celibes viuunt, si quis nouam acceperit, non putatur Sacerdos, potest tamen officio Diaconi defungi. Dies festus apud Moschos, maximus est Dominica in Palmis, quo die Dux Patriarcham dicit insidentem asino, cui 40. pueri nobiles vestes purpureas sternunt. Quadruplex apud eos ieiunium, primum ante Pascha 7. hebdomadatum, 2. ante Pentecosten, 3. ante festum SS. Petri, & Pauli, quartum sex hebdomadis ante Christi aduentum, de quibus plura in recente Graciâ. Hic Patriarcha, tres Archiepiscopi, singuli Episcopi penè in singulis Ducatibus, & Provinciis. Nemo hic concionatur, sed vita SS. leguntur. Multi hic Religiosi, multæ Moniales, sed magna vbiique ignorantia; legatur *Poffeuinus*.

§. 6. Politia.

VNVS hic Princeps Knez, seu Czar dictus, Dux aut Cæsar, additur voci Knez, *Veliki*, hoc est magnus: vtrum autem vox Czar Imperatorem sonat, aliqui dubitant. Ille sc ab Augusto fabulatur oriundum, melius ex Dano Principe *Rurik*, seu Roderico, qui cum duobus fratribus eò euocatus ab indigenis venit; sed his demortuis, illic rerum potitus est. Ab eo nati Duces inter quos nominatissimus Ioannes Basilius portentum crudelitatis, de quo scripta historia. Hæreditarius Ducatus est, transitque ad filium,

Ff iij